



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 176. Mors Episcopi Santandreani Scotiæ Gubernatoris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. ceptus, gloriæ suæ splendorem obfus-
 A.C. 1466. scasset.

§. CLXXV.

Galeatius Maria Filius ejus Successor.

Papiens. ep.
 173. 174. 188
 119. & seq.

Successorem habuit Galeatium Mariam Sfortiam filium suum primogenitum, viginti duorum annorum Juvenem: Hic tum in Gallia existens a Patre suo in auxilium Ludovici Regis XI. eo mittebatur, ac titulo Papiensis Comitis decoratus, comperta Patris sui morte continuo Mediolanum alieno habitu indutus rediit, & Ducatus sui possessionem accepit.

§. CLXXVI.

Mors Episcopi Santandreani Scotiæ Gubernatoris.

Buchanan.
Hist. Scot.
lib. 12.

Eodem hoc anno satis cessit in Scotia Episcopus Santandreanus, post cujus obitum ingentibus turbis regnum hoc agitata est. Antistes ille scholas publicas ad S. Andream maximis sumptibus ædificavit, sibi que sepulcrum, quo & conditus est, magnifice extruit. Meritorum suorum suffragio, Jacobo IV. nondum per ætatem juris sui effecto, Scotiæ Administrator nominatus est, tantaque sapientia ac prudentia arduum hoc munus obibat, ut eo regni gubernacula moderante continuo pax floreret. Fratrem habuit

habuit uterinum nomine Patricium Sæcul. XVI. A.C. 1466.
 Graamum, quem præclaræ animi dotes dignissimum Sedis Santandreeanæ successorum expetere videbantur, omnesque Ecclesiæ ac Regni saluti pie affecti eundem unicis votis exoptabant; quapropter etiam suffragante virtutum suarum excellentia huic Ecclesiæ suffectus est, sed malevolorum invidia frequentes perpeffus est adversitates, quas demum superaturus Romam adiit, & electionis suæ confirmationem efflagitavit, eamque facile a summo Pontifice Paulo II. obtinuit, prævie meritorum fama commendatus.

Interea vero Jacobus Kennethus Eboracensis Archiepiscopus nullum non movit lapidem, ut titulum Primatis Scotiæ, quem bellorum licentia sibi usurpaverat, etiam in pace retineret. Haud ægre Patricius ab omni ambitionis specie alienus hanc prærogativam Jacobo cessisset, nisi invitus eam acceptare a suis compulsus fuisset, ac ipse etiam summus Pontifex illum non modo Scotiæ Primatem declarasset, sed etiam Legationem ad restituendam Ecclesiæ disciplinam in Scotia eidem detulisset. Nec tamen, nisi Rege tutelam egresso, in Scotiam redire ausus est; verebatur enim, ne Regni Administratorum, quos sibi insensos noverat, potentia opprimeretur.